

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Hvldrichvs Zasivs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

HVLDRICHVS ZASIVS  
Iurisconsultus.



Tam Sophia Zasius, quam Iuris doctor in arte  
Sum bonus: hoc passim fama susurrat anus.

M. D. XXXV.

D iij

HVLDRICVS ZASIVS CON-  
stantiæ vrbe imperiali natus Anno  
M.CCCCLXI:

Suorum temporum Iurecos. toto orbe cele-  
berrimus :

Primò Constantiæ in patriâ, dein Friburgi Brisg.  
Curiz Præfectus:

Pòst Iuris vtriusque Doctorum cooptatus  
in Collegium:

In quo ipse interpretando, non viua solùm voce, sed  
& præclare scriptis Commentarijs quàm pluri-  
mi s: ac præterea de Iure respondendo,  
maximam sibi auctoritatem  
& gloriam passim com-

parauit:

Academiz & Reipub. Friburg. ornamen-  
tum singulare:

Multis de eâ nominibus, ac præsertim instaurando  
Iure Municipali benè meritus:

Concessit Naturæ annum agens LXXIV: II X.

KL. XBR. Anno M, D. XXXV.

E T E O S T I C H O N.

Iosephi à Pinu.

*Aetheris ut supera successit Zasius arci:*

*Eòs armigeri conspicit astra Iouis.*

Sebast. Scheferi.

*Iuris honorati Zasius celeberrimus auctor,*

*A nece correptus, Terra valet, sonat.*



IN VDALRICVM ZASIVM IV-  
recos. Epigrammata  
CONRADI CELTIS.

Zasi Friburgi non minimum decus,  
Qua lata surgit Priscia collibus:  
Qui vite amicti, nec remotam  
Herciniam specularunt atram.  
Te Phoebus alto pectore possidet:  
Qui culta profers carmina barbito,  
Et vatibus cunctis amicus,  
Quos rigat anne strepente Rhenus.  
Tu Iura nobis optima proferes.  
Leges reformans, & veterum bonos  
Mores reduces cum seверо  
Omnia pacificans honore.

NICOLAI FREIGIL

Quam pressim doctâ depictus Zasius arte est:  
Tam tegis ingenium cane capille virens.

D v

IO ANNIS FICHARDI.

Arduum iactant velut Alciatum  
Gallia: iactat Marium superba  
Roma: Germanis ita regnat vnus  
Zasius oris.

Zasius clarum iubar ille legum:  
Zasius linguae decus & Latinae:  
Zasius praestans studijs quibusuis  
Inclutus heros.

RICHARDI SBRVLI FOROIVLANI.

Quid sequeris balbos, pubes Germana, magistros,  
Quum sit natali turba diserta solo?  
Quid tibi cum Scythicis, proles generosa, colonis?  
Quum tua Romanos patria sortis alat.  
Ah pudeat tristes luci praeserre tenebras:  
Ah pudeat Glaucam praesue nolle deam.  
Vt sileam multos, tibi Zasius optima tradit  
Quaeque decem tabulas explicat ille virum.  
Somnia non vobis, solum legit ille Sibylla:  
Tullius eloquio, legibus ille Solon.  
Quid plus eloquio? quid vos plus legibus ornet?  
Haec duo praecipue quemque beare volent.  
Zasius & calamo vos, & sermone iuuabit:  
Sive domi cupitis viuere, sive foris.



GERVASII SOPHERI.

*Nestoreos viuat Zasius ter maximus annos:  
Caesarei Iuris quo duce castra vigent,  
Afferit à cacà Phoebus caligine terras:  
Legales tenebras lux Zasiana fugat,  
Noxia pallentis mundo deliquia Solis:  
Deficit hic legum Sol grauiore malo,*

IOAN. THOMAE FREIGII.

*Corpore crassus eras: sed mentis acumine Zasi  
In summo sacri vertice Iuris eras.*

MATTHAEI GRIBALDI.

*Doctus maxime, & optime disertus  
Leges restituit suo hic nitore.*

AEG. PERIANDRI.

*Candor Iuris, amor nouem dearum:  
Versu blandulus ac decorus: ingens  
Phoebi gloria: lux politioris  
Aetatis, simul & decus futura.*

ANDREAE ALCIATI.

Non te mors rapuit, neq; virtus interit vnquam:  
Sed tua viuit adhuc gloria, viuit honos.  
Nam te Ascrea senem eripuit, cælog; locauit:  
Vt superum assessor nunc quoq; iura colas.

N. FREIGII.

Zasius hic fatis, eternum nomine notus,  
Condor, & id donis Iustiniæ tuis.  
Viximus: at victum licet, ad metam usq; recur sam  
Posteritas lato nos tamen orbe canet.  
Quisquis eris nostri non immemor ergo, supremū  
In cineres nostros dicito dulce vale.

WOLFGANGI HVNGERI.

Barbaria sacras leges Astra a videbar  
Vndique compleri, & nexibus immodicis:  
Nate, ait, i Zasii vindex: hic pluribus annis  
Luctatus, monstrum victor vtrumq; domat.  
Victorem cælo mater relocauit, & omni  
Europâ eternum fecit habere decus.  
Putre sui corpus Legislatoris humantes  
Hoc grati ciues composuere loco.

EIVSDEM.

Zasius hic situs est, cuius schola Iure peritos  
Tot dedit, armatos Tros quot equus Danaos.